

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Dominica III. post festum epiphantias

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

Nobis hoc apprimè observandum est. Sæpe enim contingit, ut & nos simile responsum feramus, quando in ærumnis constituti, auxilium subito desideramus. Jesus enim noster omnia in numero, pondere & mensurâ creavit, Sap. 11. v. 22. Quod si igitur mensura non plena, pondus non integrum, & numerus non impletus est, quem definiuit, manet hoc responsum, quod Mariæ dedit: Hora mea nondum venit. Sed ideò animum non penitus abjiciamus: durifeculum quidem est responsum, at certum post se trahit solatium. Si hora tarda, tamen est:

1. *Hora certa.* Quemadmodum enim hora horæ succedit: Sic Christus cum horâ suâ tandem veniens veniet, & non tardabit, Hab. 2. v. 3. Custodit enim veritatem in seculum, Psal. 146. v. 7. Sicuti igitur promissit: Invoca me, in die tribulationis, & eruum te, & honorificabis me, Psal. 50. v. 15. & iterum: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam, & glorificabo eum, Psal. 91. v. 15. Ita certò certius præstabit, quod promissit, nec fideles suos orphanos relinquet, Joh. 14. v. 18.

2. *Hora grata.* Verum enim est, quod Augustinus ait: *Desiderata diu, dulcius obtinentur, citò autem data vilescunt.* Sic

Deus auxilium suum differt quidem, sed post eò potentius implet, ut homines annuncient opus Dei, & opera ejus prudenter considerent, Pl. 64, 10.

Quando itaq; tibi tempus nimis longum videtur, mi Christiane! & hora auxilii diu differtur, cogites velim, neque te semper ad pœnitentiam surrexissè, quando à Deo invitatus es: sic non mirabere, si neq; Deus tibi præsto fuit levaminè suo, quando & quomodo illud implorasti. Interea bono esto animo! *etsi differt, non aufert, modo sit, qui suffert.* Patientia proinde opus, imò necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportemus promissionem, Hebr. 10. v. 36. Etiam si enim affligit, miserebitur tamen secundum multitudinem miserationum suarum, Thren. 3. v. 32. Jam dicitur: vinum non habent. Sed breve post intervallum, nuptiæ agni celebrabuntur, Apoc. 19. v. 7. Ubi Jesus noster mensâ cœlesti nos honorabit, ubi nos torrente voluptatis potabit, Pl. 36. v. 9. ut comedentes saturemur, bibamus, & lætemur in secula, Esa. 65. v. 13, 14.

Hoc nobis omnibus largiri dignetur Pater cœlestis, per filium suum Jesum Christum, Redemptorem nostrum, in Spiritu sancto, Amen.

Dominica III. post Festum Epiphantias.

Evangelium Matth 8. v. 1. -- 13.

EXORDIUM.

CUM Moses de monte Sinai descendere, ubi per quadraginta dies & noctes sine cibo & potu perseveraverat, utraq; legis tabulâ acceptâ: Israëlita interea in errorem prolapsi, aurum vitulum fece-

runt: Cujus intuitu Moses tantopere indignatus fuit, ut non modo tabulas de manu projecerit, & confregerit eas ad radicem montis: Sed Levitæ quoq; armatâ manu gladiis accincti per medium castrorum ire, & occi-

occidere omnes sibi obviantes jussi sunt, inter eos, qui idololatriæ rei facti, de peccato non doluerant, Exod. 32. v. 19. 28.

Hæc mirabilis historia est, ex quâ perspicimus, quàm dissimiles & contrarias qualitates Moses & Christus habeant. Moses enim de monte descendens, zelum suum exercebat ob idololatriam, quam Israëlita cum vitulo aureo commiserant. Typus hoc fuit Legis, quæ nil nisi iram operatur Rom. 4. 15. & ministerium damnationis est, 2. Cor. 3. 9. Propterea quoque Israëlita terrore percellerantur, quâdo alterâ vice cû tabulis Legis de monte descēdebat, metuentes illū accedere, quòd splēderet cutis faciei ejus, Exo. 34. 29.

Sed in prælecto Evangelio audimus, quòd Christus alio modo de monte descēderit, non occidens, ut Moses: sed tam leprosum, quàm paralyticum de morbo infanabili liberans & sanans. Quò indicavit, se magistrum esse salvationum, Ef. 63. 1. missum à Deo, ut nos singulos de spiritali peccatorū leprâ liberare, & per vulnera sua sanare debeat, Ef. 53. 5. Sicut & mirabile fecit consiliū, & multiplicavit sapientiam, Ef. 28. 29. Ideò non metuendus nobis est, sicut Israëlita Moisen timuerunt, sed cum fiduciâ ad thronum gratiæ ejus adire possumus, ut misericordiâ consequamur, & gratiam inveniamus, in auxilium opportunum, Heb. 4. 16. Veluti audimus in Evangelio prælecto, quòd multi ipsi turba obviavit, & sequuta sit de monte dependentem, quam omnem partim spiritaliter concione suâ salvificâ, partim corporaliter manu suâ miraculosâ & omnipotente refocillatam curavit.

Nos ad Evangelium ipsum accessuri, pro instituti ratione discemus ex eodem:

I. Ἀνθρῶπις ἡμεῶν sive notitiam nostri.

II. Χρῆς ἡμεῶν sive notitiam Christi.

J. J.

Exegesis.

Non sine ratione Evangelistæ & Apostolo Johanni, Christus Servator noster, ostenditur ut Rex, qui multas coronas in capite suo gestat. Apoc. 19. Hòc ipso enim non modò Majestas ejusdem in cœlo, in terrâ & sub terrâ indicatur, Phil. 2. 10. sed & multitudo beneficiorum, quibus in genere annum, & in specie credentes in omnibus tribus statibus sive hierarchiis egregiè coronat, Psal. 65. v. 12. Psal. 5. v. 13.

Ante quatuordecim dies *statum Ecclesiasticum* splendidâ coronâ ornavit, dum ipse velut Doctor eruditæ linguæ, in templo Hierosolymitano in medio Doctorum sedens, primum Prophetici sui muneris specimen edidit, tanto cum applausu, ut omnes auscultantes, orationis & responsi ejus admiratio ceperit, Luc. 2. 46. 47.

Ante octiduum *conjugium* consecravit, & præsentia suâ honorabili, primoque miraculo, quod in Nuptiis Cananæis patravit, publicè probavit, statum esse ejusmodi, quem cum Patre & Spiritu sancto pergratum habeat & amet.

Hodiè in Centurione Capernaitico, qui præcipuus belli minister Regius fuit, *statum politicum* & fidem ejusdem adeò prædicat, ut in Israël tantam fidem non invenisse se, asseveret: hoc ipso innuens, Politicum quoque statum sibi non displicere, modò juxta Dei verbum & placitum administratur. Non est enim potestas, nisi à Deo, Rom. 13. v. 1. Ideoque Christus in aulâ Suos habet, hæc ferina illa est, quâ mensam cœlestem decorat, dicit enim: De pinguibus convertam, Psal. 88. 23.

Nos hinc ansam nanciscimur, ad notitiam nostri perdiscendam, quando expendimus:

I. e. Af-

I. *Afflictorum per fugium.* Uterq; enim & leprosus & Centurio, ille propriã, hic servi sui miseriam pressus, apud Christum auxilium quærunt. Ille inquit: Domine, si vis, potes me mundare. Hic: Tantum dic verbum, & sanabitur puer meus. Uterque agnoscit Christum ejusmodi Dominum, qui potens est omnia facere superabundanter, quam petimus, Eph. 3. v. 20.

Varia procul dubio medicamenta illi adhibuerunt, sed infelici cum successu. Paralytis enim & lepra ejusmodi morbi sunt, qui non facillè humanã industriã sanantur, si præsertim invaluerunt nimis & naturam superarunt. Itcirco optimè faciunt, quod ad Christum confugiunt, qui non valentibus, sed malè habentibus medicus venit, Matth. 9. v. 12. cujus mirifica, & omnipotentis manus mutatio est, Psal. 77. v. 11. Act. 10. v. 38.

Hic te proba, mi Christiane, an in calamitatibus & angustiis constitutus, solum Christi auxilium & solatium imploraveris?

Inveniuntur enim homines superstitiosi, qui ærumnis pressi ad magos, pythones, & incantatrices confugiunt, exemplo Saulis, 1. Sam. 28. v. 8.

Huc omnes præcantationes, superstitiones & benedictiones pertinent, quæ à superstitiosis superstitiosè adhibentur. Licet enim quandoque fiat, ut ægroti per hæc incantamenta reconvalescant: non tamen existimandum est, virtute sanandi illa polleere, sed permittit id Deus Satanæ, in majorem horum hominum poenam, 2. Thess. 2. v. 10. sic corpus sanatur, anima verò vulneratur, & in damnationem præcipitatur. Hinc graviter minatur Deus: Anima quæ declinaverit ad magos & ariolos, &c. Levit. 20. v. 6.

Nos potius cum paralytico & Centurione ad Christum nos recipiamus, qui est Dominus Deus, sanator noster, Exod. 15. v. 26. qui operatur salutem in medio terræ, Psal. 74. v. 14.

Auxilium ejus est *omnipotentissimum.* Medicis desperantibus & omnibus medicamentis effectû carentibus, ipse vel verbulo morbos fugare potest. In manu enim ejus bona & mala, vita & mors sunt, Sir. 11. 14.

Auxilium ejus est *præsentissimum.* Cives Hierosolymitani in Ægyptum ablegabant, contra hostes Babylonios auxilium implorantes: sed melius multò fecissent, si ad Deum confugissent, qui non modò validã manu ex Ægypto eos eduxerat: sed & gentes coram eis expulerat, regionemq; illis distribuerat. Ibi in propinquo auxilium inveniissent, Psal. 145. v. 18.

Auxilium ejus est *solatio plenissimum.* Hoc enim more utitur, ut tum demum succurrat, quando hominum auxilium desperatum est, uti videre est in tribus viris in ardente fornace, Dan. 3. v. 91. civibus Bethulienfibus, Judith. 14. v. 9. seqq. in muliere hæmorrhousã, Luc. 8. v. 43. aliisq;. Hoc ideo facit, ut postea auxilium ejus eo gratius sit, & homines annuncient opus ejus. Psal. 64. v. 10.

Quia igitur hoc nobis constat, media quidem ordinaria non contemnere: sed nec fiduciam in iis collocare debemus: Verum toti à Christo, velut infans ab uberibus matris pendeamus, ejusq; opem æquo animo expectemus. Licet enim Paulus plantet, Apollo riget, tamen frustraneum est, nisi Deus det incrementum, 1. Cor. 3. v. 6.

II. *Servorum obsequium.* Hoc Centurio prædicat, ad Christum inquam: Ego homo sum, sub potestate constitutus, habens sub

sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic: Vade, & vadit: & alii: veni, & venit, & servo meo, fac hoc, & facit. Ejusmodi obsequio servi Dominis suis obstricti sunt, si liberaliter illi servire velint. Hinc Paulus Eph. 6. v. 5. seqq.

Hic examinent se servitii addicti, servi, famuli & ancilla, utrum & ipsi erga Dominos se ita gesserint, ut eis, debitam obedientiam & fidem præstiterint?

Hic merito illud Poëtæ locum habet: Rara avis in terris, nigroq; simillima Cygno!

Sic omnem hodie reverentiam abjecerunt. Gehasi defraudat Dominum, capiens munera à Naëman, quæ Dominus suus respuerat, & ideo ab hero compellatus, negat, 2. Reg. 5. v. 16. Hagar despicit Dominam præ saltu, quia Abrahamo data, Genes. 16. v. 4. Ziba calumniis onerat Dominum Mephiboseth, & hoc ipso bona ejusdem impetrat, 2. Sam. 16. v. 3. Onesimus relicto Domino suo, abit, Philem. v. 11. Hæc exempla V. T. sunt. In Novo autem non melius, sed deterius serres habet. Diabolus enim qui habet iram magnam, Apocal. 12. v. 12. hæc quoque in parte minus feriat, per servitia quoque truculentiam suam exerens, dum plurimis, ut instrumentis suis in Dominorum detrimentum abutitur. Finis enim mundi magis magisque appropinquat, de quo Micha prædixit, quod domestici inimici ejus, Mich. 7. v. 6.

Centurionis servus fuit:

I. *Servus pius.* Quod inde constat, quia Seniores Judæorum tam sedulo pro eo apud Christum intercedunt, Luc. 7. v. 4. Sine dubio iis omnem benevolentiam exhibuit, nec minus sacris sedulo interfuit: id

grato animo recolentes, Christo eum commendant.

Sic servitii addicti, imprimis pietate litare, & templum sedulo frequentare debent, quo fundamentum in Christianismo jacent, & parati semper sint ad satisfactionem omnipotentis rationem de spe & fide, 1. Petr. 3. v. 15.

2. *Servus industrius.* Si enim dico: Vade, vadit: veni, venit: fac hoc, & facit, ait Centurio. Idem fecerunt Eleasar, Genes. 24. v. 33. Jacob, Genes. 31. v. 40. Joseph, Genes. 39. v. 4. armiger Jonathani, 1. Sam. 14. v. 6. 7. Abra, ancilla Judith, Judith. 10. v. 2. seqq.

At multi hodie inveniuntur, qui tantum præ oculis serviunt, Eph. 6. v. 6. & castigati cum Hagar aufugiunt, Gen. 16. 6. Ideo maledictionem Dei incurrunt, ut in conjugio demum puniatur, quicquid in servitii delirarunt, sicut Gehasi, infidelis ille Elisæi famulus leprâ infectus est, quæ ei & omnibus ejus posteris adhæsit, 2. Reg. 5. v. 27.

Quod si verò servi fidelem operam Dominis suis præstiterint, non dubitent, quin Deus beneficis Dominos excitaturus sit, qui omnem ipsis benevolentiam etiam morbo correptis præstent, sicut Centurio servo suo: imò sæpe contingit, ut præcipuus aliquis pater-familiæ servo fideli filiam in matrimonium collocet, aut consilio adjuvet salutari, Prov. 17. v. 2. Die verò novissimo ex ore Christi vocem amabilem audient: Euge serve bone! Matth. 25. 23.

III. *Centurionis encomium.* Quia enim coram Domino se humiliavit & dixit: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbum, & sanabitur servus meus. Ideo mirabundus Je-

K

sus

fus sequentibus se, dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël.

In totâ Judæâ misera tum erat conditio. Pharisei enim fermento falsæ doctrinæ veram doctrinam corruperant, juxta Esaiæ querelam, c. 1. v. 22. attamen supererant adhuc pii aliqui, ut Zacharias & Elisabeth, Luc. 1. v. 6. Simeon & Hanna, Luc. 2. v. 25. 36. Nathanaël, Joh. 1. v. 47. quorum sine dubio inter Apostolos, quos de mundo Christus elegerat, fuerunt, Joh. 15. v. 19. Act. 1. v. 8.

Quod verò Gentilis homo eò pervenit, ut, si Dominus tantam unum verbum diceret, verba ejus tantam virtutem habitura essent, ut servus infirmus iis sanitati restitueretur, crediderit, hoc rarum planè fuit: propterea quoque Jesus fidem ejus miratus est, nec satis commendare eandem potuit.

Hic probent se Christiani nostri, qui nomine nudo superbiunt, annon Centurio hic gentilis die novissimo, ruborem ipsis incusurus sit, qui velut ethnicus plura de Christo novit, quam Judæi vulgariter, & adhuc hodiè multi, qui de Christiano nomine gloriantur?

Olim, cum Apostolus Atheniensium cultus divinos spectaret, inter alia aram offendit, in quâ scriptum fuit: $\Theta\epsilon\acute{o}\varsigma \acute{\alpha}\gamma\eta\iota\sigma\tau\acute{o}\varsigma$, Act. 17. v. 23.

Hæc ara hodiè medios inter Christianos versatur, paucissimi enim Deum rectè agnoscunt, & licet agnoscant, tamen factis negant, Tit. 1. v. 16.

Cum Philippus cum Christo colloqueretur, inter alia petebat: Domine ostende nobis Patrem, & sufficiet nobis: & respondit Christus: Tanto tempore

vobiscum sum, & non cognovisti me? Joh. 14. v. 8. 9.

Ejusmodi Philipporum hodiè plurimi occurrunt, qui non modò tres: sed vel decem, viginti aut triginta annos scholam Christi frequentarunt, multasque egregias conciones de omnibus fidei articulis audiverunt: & tamen sunt, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, Psalm. 32. v. 9. & de Christo, aut SS. Trinitate interrogatis mera anigmata videntur, sicut Apostolis, Johan. 16. v. 25. nihilque horum intelligunt, Luc. 18. v. 34.

Verum hæc ignorantia vincibilis & affectata est, quæ nullam excusationem meretur. Habemus enim scripturam sacram, in qua scrutari, & ex eadem utilia discere possumus, Joh. 5. v. 39. Præterea conciones ferè quotidianæ habentur, in quibus Christus tam clarè nobis ostenditur, ut vel puer septennis comprehendere queat, Gal. 3. 1. idèò gravissima ratio reddenda erit, quando Christus requiret, quid quilibet talento sibi concredito operatus & lucratus fuerit, Matth. 25. 7. 14. & seqq. Joh. 15. v. 22.

Quod si igitur animæ salus tibi curæ est, sedulo frequenta templum, & appropinqua, ut audias, Eccles. 5. v. 1. Prov. 2. v. 2. Custodi verbum auditum in corde tuo, Luc. 8. v. 15. loquere de eo, ac meditare die ac nocte, Psal. 1. v. 2. sic thesaurizabis tibi thesaurum in cælo, Matth. 6. v. 20. Aurum enim & argentum aruginat, Jac. 5. v. 3. nec liberare valet, in die furoris Domini, Ezech. 7. v. 19. Te verò nosse, consummata justitia est, Sap. 15. 3.

De Secundo.

Pergemus nunc ad alteram partem, *2. 21-57 vsiav*, sive notitiam Domini nostri Jesu Christi contemplaturi. Hic nobis meditando proponitur:

I. *Tanquam medicus noster admirabilis*, qui solo contactu, imò verbo omnes morbos fugare potest.

Duo præclara exempla habemus in prælecto Evangelio, cum in leproso, tum in servo Centurionis paralytico. Illum tetigit, & dixit: Volo: mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. Hunc verò absens curavit, dicens ad Centurionem: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illà horâ.

Ecce, potentissimum medicum & Salvatorem! de quo verè dixit Centurio, quòd ipsi omnia obedire teneantur, sicut sibi servi sui. Sic ille pestilentiam, lepram, paralytin, febrim, aliq; morborum genera nutu tantum accerere potest & dicere: Venite, & venire oportet, & corripere homines propter iniquitatem, Psalm. 39. v. 12. Vel: discedite, & cessare oportet & evanescere. Pater enim cælestis omnia subjecit pedibus ejus, nihil omisso, Hebr. 2. v. 8. Psal. 33. v. 9.

In Insula Cypro olim singularis familia Ophigenum (*από τῶν ὀφίων* sic dicta) fuit, quæ solo contactu, à serpentibus laesos, eorumq; veneno infectos salvavit.

Similiter de Gallia & Angliæ Regibus refertur, quòd strumas, manus contactu, his verbis additis: Tangit te Rex, sancte te Deus, abigere valeant.

In Hispania quoque certa familia fuit, *salvatorum* dicta, quæ canum rabidorum mortiferos morsus curare potuit.

Fides sit penes Autores! Jesus verò non solum sapissimè probavit, unico se verbulo & contactu, omnes nostras infirmitates sanare posse, Psal. 103. v. 3.

Perfæ Mithridatem suum, Ægyptii Hermetem, Arabes Sabilen, Judæi Salomonem commendatum cant. Alii cum Hippocrate, alii cum Galeno faciunt; nos Christum in delitiis habemus, qui velut medicus experientissimus intimè latentes infirmitates perspicere potest. Est enim cordium scrutator, Act. 1. v. 24. qui novit quod in homine est, Joh. 2. v. 25. Pollet quoque virtute, via ejus parata sunt, & judicia sua in providentiâ posuit, Judith. 9. v. 5. Nec minus proclivis est ad juvandum. Qui enim venit ad eum, non ejicietur foras, Joh. 6. v. 37. Hinc ipse vocat: Venite ad me omnes. Matth. 11. v. 28. Ipse paratus adstat, & expectat nos. Nostrum est, venire, & ejus gratiam accipere, per veram ac vivam fidem, ad exemplum Centurionis & leprosi. Oculi enim ejus respiciunt fidem, Jer. 5. v. 3. Hæc quasi manus est, quâ cor ejus apprehendimus, dicentes cum Jacobo: Non dimittam te, donec benedixeris mihi, Gen. 32. v. 26.

In omnibus igitur ærumnis & miseriis ad hunc medicum properabimus. *In medicorum manibus sanitatis spem habere, bestiale est*, scribit Basilius. Ratio in promptu est: Quia,

Interdum doctâ plus valet arte malum.

At hîc dicere possumus: *In hujus medici manibus sanitatis spem collocare, & rationale, & salutare est*, Sap. 16. v. 12.

II. *Tanquam ministerii commendator venerabilis*. In V. T. Sacerdotum fuit de

K 2

leprâ

leprâ iudicium ferre. Hinc eum, qui à leprâ absolvi volebat, oportebat sacerdotem accedere, & sacrificia sua afferre, nempe duos agnos immaculatos, & ovem anniculam, absq; macula, & tres decimas simillæ quæ conspersa erant oleo, Lev. 14. 10.

Sicut igitur Sacerdotibus certa pars de sacrificiis ex instituto Dei debebatur, Exo. 29. v. 26. Sic vi legis divinæ partem capiebant, postquam leprosum mundum pronuntiaverant. Hanc ipsi Christus subtrahere noluit, ideò leprosum ad Sacerdotem ablegavit, ut ministerium reverenter habere disceret, quod fortè hæctenus despexerat, siquidem Deo familiare fuit, contemptum Ministerii sacri leprâ punire, ut exemplum Miriam probat, Num. 12. 10.

Observent hoc Auditores, ut faciant, quod par est:

1. *Spiritualiter.* Quod si in locum confessionis veniunt, non abscondant peccata: Sed confiteantur ea coram Deo, & Ecclesiæ ministro, si à spirituali leprâ absolvi, & remissionem peccatorum consequi velint. Hanc enim Deus gratiam absolutioni impertivit, ministrisq; suis, Ecclesiæ Pastoribus potestatem ligandi & solvendi dedit, Matth. 18. v. 18. Quemcunque itaque conscientia ob commissa peccata angit, ut cum Davide queratur, Psal. 38. v. 5. Is ostendat se Sacerdoti, confitendo peccata sua, tum solatio verbi divini eum eriget, & absolutionem annuntiabit, verbis Christi: Confide fili mi! Confide filia mea! remittuntur peccata tua! Hoc saluferum gratiæ medium est, omnibus corde contritis destinatum, ideò non despici, sed cum gaudio & animi solatio usurpari debet, Psal. 32. v. 3. 5.

2. *Corporaliter.*

1. *Per reverentiam,* 1. Tim. 5. v. 17.

2. *Per Obedientiam,* Hebr. 13. v. 17.

3. *Per beneficentiam.* Minister verbi ille est, qui te quotidie verbo Dei crudit, ut crescere possis in agnitione Dei, in quâ vita æterna consistit, Joh. 17. v. 3. Tui causâ scrutatur scripturas, Joh. 5. v. 39. Tui causâ cor suum tradit ad vigilandum diluculo ad Dominum, & in conspectu Altissimi deprecatur, Sir. 39. v. 6. Tui causâ concionando & meditando corpus affligit, Eccles. 12. v. 12. Quinimò propter te sæpè vitâ periclitatur, pestiferis morbis grassantibus, ut Aaron, Num. 16. v. 47.

Ut breviter complectar: Nemo illo carere potest. Ipse præsto tibi est in nativitate, & baptisimo te tingit. In vitâ quando te doctrinâ instruit, & solatio reficit, in morte, quando viatico te sublevar, & tandem corpus in dormitorium suum deducit. Agnosce hoc gratâ mente, ut reciprocam gratiam referas. 1. Thess. 5. 12. Gal. 6. v. 7.

III. *Tanquam fidei remunerator incomparabilis.* Leprosus eras Judæus, Centurio verò ethnicus, quia autem uterque fide firmâ præditus erat, utrumque Christus amore complectitur, & precatio eorum annuit.

Hinc apparet, quòd Deus personarum acceptor non sit, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus sit illi, Actor. 10. v. 34. Omnia in fide sita sunt, ea est res omnipotens, cuius virtus inestimabilis & infinita, ut B. Lutherus scribit. Per hanc Christum induimus, Gal. 3. v. 17. ut in cordibus nostris habitet, Ephes. 3. v. 17. Per hanc regeneramur, Col. 2. v. 12. Per hanc

Di.

Diabolo resistere, 1. Pet. 5. v. 9. mundum vincere, 1. Joh. 5. v. 4. & tandem vitam æternam consequi valeamus, Joh. 3. v. 16.

Quinimo Deus fidem temporali sæpe benedictione remunerat. ut exempla leprosi & Centurionis Capernaïtici probant, quorum uterque fidei vim sensit, & auxilium desideratum à Christo impetravit. Sic fide Enoch translatus est, ne videret mortem, Gen. 5. v. 29. Fide Noah ultra annum in arca inter bestias servatus est, Gen. 7. v. 1. seqq. Fide vocatus Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exiit, nesciens, quo iret, Gen. 12. v. 4. Fide Sara sterilis virtutem in conceptione seminis accepit, etiam præter ætatis tempus peperit, Gen. 21. v. 7. Fide superavit Jacobus Angelum Jehovaham,

Gen. 32. v. 28. Fide Israelitæ transierunt mare rubrum, Exod. 12. v. 22. Vide Heb. 11. v. 1.

Propterea genuinis Christianis incumbit, ut fidem sibi acquirere studeant. Et quia illa venit ex auditu, auditus autem per verbum Dei, Rom. 10. v. 17. sedulo concionibus intersint, quo scintillam fidei resuscitent ne exstinguatur, 2. Tim. 1. v. 26. Sic Deus incrementum dabit, eosque instaurabit, confortabit, roborabit, fundabit, 1. Pet. 5. v. 10. ut militent bonam militiam, habentes fidem & bonam conscientiam, 1. Tim. 1. v. 18. Et tandem finem fidei, salutem animarum reportent, 1. Pet. 1. v. 9.

Concedat id nobis Deus ex gratia, per filium suum Jesum Christum, servatorem nostrum, Amen.

Dominica IV. Post Festum Epiphaniæ.

Evangelium Matth. 8. v. 23. --- 27.

EXORDIUM.

Cum Deus justissimus primum mundum diluio perdere vellet, quod multa malitia hominum esset in terra, & Spiritus Sancti correctionem non admitterent, Noë ex instituto divino arca fabricanda erat, trecentorum cubitorum longitudine, in quam intraret, cum suis Ex cunctis quoque animantibus universæ carnis, par in arcam introducere tenebatur, masculini sexus & foeminei, ut hoc ipso genus humanum, & genus cæterorum animalium conservari, & post diluvium propagari posset. Gen. 6. v. 14.

Hæc arca typus Ecclesiæ fuit, ut ipse Apostolus Petrus confitetur, 1. Pet. 3. v. 20.

Quicquid extra arcam erat, five homines five pecora erant, id omne in aqua diluvii suffocabatur, solus Noë remansit, & quæcum eo erant in arca, Gen. 7. v. 23. Sic extra Ecclesiam nulla salus est: Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? inquit Apostolus, 1. Cor. 5. v. 12.

Arca Noë non habebat vela, remiges, aut nauclerum, sed Deus gubernabat, & ducebat eam manu sua, quorsum placebat, Sap. 14. v. 6. Sic Ecclesia non viribus nititur humanis, aut carnalibus: sed Dominus spes ejus, & altissimus refugium ejus, Psal. 91. v. 9. nam vana salus hominis Psal. 60, 13.

K 3

Seq